Q. D. B. V.

DE

BONORVM ECC SIASTICORVM MEDIATC ET IMMEDIATORV

DIFFERENTIA RESPECTV

RESERVATI ECCLESIAS

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIS P

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

IN PER-ANTIQVA ELECTORALI VNIVERS

ERFORDIENSI,

CONSENTIENTE

ILLVSTRI JCTORVM OR

PRO

GRADV DOCTORA

ANNEXISQVE PRIVILEGIIS ET IMMVNIT

RITE CAPESSENDO,

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMIT

AVTOR

FRIDERICVS BENEDI

SCHRECKENFELS, *Li*

IN AVDITORIO JCTORVM MAJ

DIE XVI. JVNII M DCC XXX.

ERFORDIÆ,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

206

A

SON ALTESSE ROYALE
MONSEIGNEUR,

MONSEIGNEUR

FREDERIC AVGVSTE,

PRINCE DE LA COURONNE
DES ROYAUMES DE POLOGNE,
ET ELECTORAL DE
SAXE.



MONSEIGNEUR.

PArmi les prerogatives qui élevent les Souverains au dessus du reste des hommes,

&

& qui les font ressembler à la Divinité pour être ses plus veritables images; c'est principalement qu'ils sont nés pour faire grace. C'est le reserve qui n'est deu qu'aux Grands Princes, parceque les faveurs, que les autres hommes repandent ne dependent que d'eux. Prosterné aux pieds de VOTRE ALTESSE ROYALE, *je viens soumettre une piese qui ose maintenir les droits de* L'AVGVSTE MAISON DE SAXE, *en racourci. Je confesse ma temerité, qui ne peut étre pardonnée que par une Clemence Rojale, c'êt à dire toute Divine, en me jettant aux pieds de* VOTRE ALTESSE SACREE & ROYALE *comme dans un saint azile. Il n'y a rien de*

de si fort imprimé dans mon cœur que ce devoir de sacrifier à VOTRE ALTESSE ROYALE *toute ma vie. C'ēt pourquoi il ne me reste plus,* MONSEIGNEUR, *qu'a supplier trés humblement* VOTRE ALTESSE ROYALE *de vouloir agréer ma temerité que je commetts aujourd'hui du fruit de mes études, accompagné de mille vœux, que le Tout Puissant veuille prolonger pour une eternité les années de* SA MAJESTE ROYALE NOTRE AVGVSTE ROI *qui fait l'admiration de tous les peuples & l'amour de ses sujets, affermir le splendeur du nom de* VOTRE ALTESSE ROYALE, *maintenir de plus en plus les Etats de Saxe, & eterniser la felicité du siecle par*

la

la prosperité de VOTRE ALTESSE ROYALE. *Ce sont les vœux ardens de celui qui a la grace de se dire toute sa vie*

MONSEIGNEUR,

DE VOTRE ALTESSE ROJALE

Lipsic, le 16. Juillet, 1730.

le très humble, très fidele & très obeissant serviteur & sujet

FREDERIC BENOIT SCHRECKENFELS.



LECTOR

PER QVAM HVMANE.




N ſpem venio, fore, mihi haud vitio des argumentum mihi arriſiſſe rei non adeo tritæ, & vulgaris, tantum non quodammodo ſpinoſæ, & intricatæ, cujus praxis forenſis plane ignara, adeoque parum ipſi utilis videtur, quum omnium ea ſit expers, quippe quæ plane non occupata eſt circa Jura publica, ſed potius iſta aliis diſcutienda relinquit. Supervacaneum vero

erit redditionem rationis, quare me in ejusmodi materiam intromiſerim, a me efflagitare, ſiquidem ea defungi impræſentiarum mihi non animus eſt. Hoc ſaltim indigitare è re eſſe duco, quod dolendum ſit, morem ſ. potius corruptelam etiamnum quasdam occupaſſe Academias, in quibus Doctores Juris Civilis tenaciſſimi, ſtrenuo pro legibus ejus militantes, ſtudioſam juventutem plane ab addiſcendo Jure Publico dehortantur, quum parum fructus atque medullæ ei ineſſe, nihilque certe utilitatis in Oratores in foro verſantes retundare perhibeant, & quæ alia minus felicia ſomnia. Oratores itaque iſti ineſcati liminibus curiarum pedibus inſiſtere, ubi ſæpe altercationes, lites, non raro intermixtæ calumniæ perſtrepere ſolent, atque concatenatis infinitis turbis, confuſionibus, rixis, obtrectationibus, ſuſurris, invidiæ, contentionibus ac ſuſpicioni peſſimæ indulgere malunt, ubi ipſum quoque judicem, ut limites officii deſerat, interdum ſeduci videmus; uſus enim, qui in quibusdam foris dominatur, rationi frequenter repugnat; Ut ita non immerito quæſtio enaſcatur, num è re Oratoris cau-

ſarum

ſarum ſit, Jurisprudentiam Civilem cum ſcientia Juris Publici combinare. Turbam illorum, qui arti rabuliſticæ favent, jam jam animadverto, qui voce ſtentorea in me involant; (cum ſagacioribus Advocatis, veris Juſtitiæ ſacerdotibus, mihi nulla plane res eſt, quibus debita laus & merita haud quaquam detrahenda, ſicque in nullius præjudicium in ſcenam prolata dicta, quum & multi huic generi ſtudii elegantioris adeo addicti ſint, ut præter Romanam Jurisprudentiam & Juri Publico perplurimum temporis ſacrum eſſe velint.) Illi, inquam, declamant, ſcientiam Juris Publici nec panem lucrari, neque crumenas ditare; utrum vero hæc male concepta compendia diſciplinam, quæ Jus Rom. à multis nævis ſcoriisque diluit, dum vetuſtate exoleta ad modernam Imperii formam, Res publicasque noſtras Germanicas nequaquam transferri valent, penitus è foro proſcribere paria ſunt, potius plebeculæ quam excelſis animis ſtatuere congruit, ſinguli enim Advocati ſeſe attemperare neceſſe habent legibus provincialibus, iſtæ autem leges accommodari ſolent indoli partim

regiminis, partim ſubditorum, unde indecorum foret, omnes leges veteres Rom. ad formam regiminis Imperio Rom. Germanico ſubjectosque pertrahere. Me publici juris momenta ſatis perſpecte habere non jacto, in id vero unumquemque operam dare puto, ut Reipublicæ, patriæque commoda præſtare par ſit ſervitia. De reliquo omnes æquo animo fero, qui veritatis amore circa argumentum hocce propoſitum diſſentiunt, gratiasque illis perſoluturus ſum, ſi me ad expeditiorem viam, de qua deflexiſſime putant, meliora docendo, perducere queant.



DE



DE BONORVM ECCLESIASTICORVM IMMEDIATORVM ET MEDIATORVM DIFFERENTIA,

RESPECTV

RESERVATI ECCLESIASTICI,

§. 1.



Vemadmodum in Legibus Imperii nostri publicis satis cognita perspectaque est percelebris & illustris illa inter bona Imperii immediata & mediata differentia; ita illam non ad bona Imperii secularia tantum, sed præcipuè quoque ad bona *Ecclesiastica* f. *beneficia* pertinere, ut scil. & hæc in Imperio nostro Romano

Distinctio inter bona eccl. med. & immediata.

no Germanico duplicis omninò generis ſint, *mediata* & *immediata*, adeò in aprico poſitum eſſe exiſtimo, ut lucem ſoli accendere videatur, qui prolixioribus argumentis id ipſum demonſtrare intenderit. Vel enim ex ſolis PACIS WESTPHALICÆ TABVLIS illam liquidò apparere ex eis, quæ *Art. V. §. 14. ſeqq.* tot vicibus leguntur diſpoſita, plus quam manifeſtum eſt. Dicuntur autem *bona eccleſiaſtica* ſ. *beneficia* imperii *immediata* ſecundum præſcriptum atque mentem prælaudatæ PACIS WESTPHAL. intuitu Imperii Romano-Germanici illa, quorum poſſeſſores Cæſari & imperio immediatè ſubſunt, nec ſub alterius Status territoriali poteſtate exiſtunt. *Mediata* verò, quæ non modo in aliorum Statuum territoriis ſita, ſed quoque ita de territorio eorum ſunt, ut ſublimi jure ſuperioritatis regantur, cujusque jurisdictione & mandatis ſubſunt parentque illi, qui ejusmodi bonis mediatis præficiuntur. HENNIGESIVS *ad Inſt. Pac. Art. V. §. 14. lit. a. p. 230.* & *ad §. 25. l. c. p. 309.* Notanter verò dixi, bona eccleſiaſtica mediata vel immediata, ita vocari ſecundum mentem Tabularum *P. Weſtphalicæ*; Optime enim obſervat Excell. Dn. BÖHMER *in Jur. Eccl. Pr. L. 3. t. 5. §. 123.* hanc quoque diviſionem bonorum eccleſiaſticorum ſed alio plane ſenſu & effectu, obtinere intuitu *Curiæ Romanæ*, adeo quidem, ut hoc reſpectu *immediata* illa nuncupentur, quæ immediate ſubſunt Pontifici, idque vel ob *exemtionem* vel *ſtatum*, quorſum referri debent e. g. *Primatus, Epiſcopatus, Capitula, Baliviæ, & Monaſteria exemta.* *Mediata* vero dicantur, quæ non, niſi mediatè Curiæ Romanæ obno-

noxia, contra vero ordinariis locorum adhuc ſubſunt; ſed ſicuti de hiſce tali reſpectu mihimet impræſentiarum non eſt ſermo, quin potius de priori ſaltem bonorum mediatorum & immediatorum eccleſiaſticorum ſignificatu, ſecundum mentem Pacis Weſtphalicæ, efformato loquor; Ita ad bona talismodi *immediata* in *Inſt. Pac. Art. V. §. 14.* nominetenus: *Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, Prælaturas, Abbatias, Balivias, Præpoſituras, Commendas, liberasque fundationes ſeculares,* referri legimus, cum econtra in *Art. V. §. 25. Monaſteria, Collegia, commendæ, templa, fundationes ſcholæ, hoſpithalia, aliave bona eccleſiaſtica*, quarumcunque eccleſiarum, quatenus in ſtatuum territoriis ſunt, eorumque ſuperioritati ſubjacent, Catalogo bonorum eccleſiaſticorum *mediatorum* inſerta reperiantur.

§. II.

Tam notabilis autem inter utrasque horum bonorum eccleſiaſticorum ſpecies eſt differentia, ut quemadmodum *immediata* ex eo ita dicuntur: quod unicè ſint in fide & ditione Imperatoris & Imperii, nihilque ad ſit verè medii, quo veluti nexu quodam poteſtas Cæſaris & bonorum illorum ſubjectio ſibi mutuo reſpondeant; econtra verô *mediata* propterea ita appellentur, quod territorio principis cui proximè ſubſunt, quaſi intermedio, jurisdictioni Cæſareæ iis demum caſibus ſubjecta ſint, quibus ex Legum Imperii præſcripto Imperator etiam mediatis imperari poteſt; Ita *immediata* bona eccleſiaſtica præ *mediatis* in eo emineant, ut totum aliquod, quod territorium vocatur, adeoque ipſius Imperii noſtri Romano Germanici

nici

nitii partem principalem constituant; bona verò *mediata* pars quidem imperii, sed saltem minus principalis, principaliter vero pars territorii, cui subsunt, existant. Cujus observationis porro Consequens est, ut *immediatorum* bonorum possessores, quâ tales præter Cæsarem superiorem non habeant, quin potius superioritate territoriali omnimoda, cum omnibus inde pendentibus effectibus, dignitatibusve secularibus annexis, puta Electoratus, Ducatus &c. insimul Jure Voti & Sessionis in Comitiis gaudeant, illi econtra, qui *mediata* saltem bona possident, his omnibus destituantur, sed Territorii domino simpliciter subjaceant. Dari autem ejusmodi Episcopos, Abbates, Prælatos e. g. in Austriacis, & Bavaricis provinciis, qui non immediate subsunt imperio, sed intuitu bonorum, quæ possident, ecclesiasticorum, statuum provincialium loco per omnia habeantur, tributisque jurisdictioni, & plerisque aliis Imperii civilis partibus obnoxii sint, non facile erunt, qui ibunt inficias. Quid quod dari non minus bona ecclesiastica *immediata secularia* in Imperio ex eôdem *Art. V. §. 14. Inst. Pac. W.* aperte constat, ubi aliorum bonorum ecclesiasticorum ibidem recensitorum classi: e. g. Archi-Episcopatibus, Episcopatibus, Prælaturis, Abbatiis, Baliviis, Commendis, *liberæ* quoque *fundationes seculares*, germ. *Freye weltliche Stiffter* annectuntur nominetenus, idque per notabilem reduplicativam particulam disjunctivam: SIVE, in verbis: SIVE *sint Archi Episcopatus &c.* SIVE *liberæ fundationes seculares*, ex quo nova bonorum ecclesiasticorum *immediatorum* resultare vide-

detur differentia, ſcil. quod alia ſint bona eccleſiaſtica propria & ſtrictè ſic dicta, alia vero ſecularia ſ. impropria, quæ diviſio eo minus incongrua, quo magis ſimilis vere inter *clericum religioſum* & *ſecularem* in jure Canonico occurrere ſolet differentia. Talis modi liberæ fundationis ſecularis *eines freuen Weltlichen-Stiffts* exemplum Ratisbonæ, *das Ober-Münſter*, *und das Nieder-Münſter*, extare, ex HENNIGESIO *ad J. P. Art. V. §. 14. lit. d. p. 231.* conſtat, ubi virgines nobilitate generis conſpicuæ aluntur, ſub Abbatiſſæ cujusdam directione, quæ relinquere Conventum ſuum, & pro arbitrio nubere poſſunt, ſolâ Abbatiſsâ exceptâ, cui vitæ genus, poſtquam ſemel electionem accepit, mutare haud eſt licitum.

§. III.

Nunc porro inquirendum puto, in quo prædictæ inter bona eccleſiaſtica *mediata* & *immediata* differentiæ uſus ulterius juxta mentem *Inſt. P. W.* in Imperio ſeſe extendat, qui profecto non exiguus, quin potius in variis capitibus maximus eſt & egregius. Quem enim latet Sacræ Cæſareæ Majeſtati Jus Primariarum precum ſublime per *Art. V. Inſt. P. W. §. 18.* ita fuiſſe conſervatum, ut illud in omnibus Capitulis immediatis, in quibus olim iſtud libere exercuit, indiſtinctè & citra ullum reſpectum ad annum decretorium, habitâ ſaltem, perſonæ nominandæ, religionis & ſtatutorum Capitularium, ratione, libere exercere queat; verbis:

Uſus differentiæ inter bona eccleſiaſtica mediata & immediata. 1) Ratione Juris primariarum precum.

> Ubi Sacra Cæſarea Majeſtas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam in poſterum, dummodo decedente A. C. addicto in ejus Religionis Epiſcopatibus Aug. Conf. addictus ad normam

> Statutorum & obſervantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis verò ex utraque religione ſeu Epiſcopatibus, ſeu aliis locis immediatis precibus primariis præſentatus non gaudeat, niſi beneficium vacans Religionis conſors poſſederit.

Sed, quod beneficia eccleſiaſtica *mediata* attinet, in *Art. V. §. 26.* non aliter idem Jus Primarium Cæſari confirmatum, quam quatenus illud *d. 1. Januarii 1624.* exercuit, per verba:

> In quibuscunque etiam fundationibus mediatis Anno 1624. die 1. Jan. Sacra Cæſarea Majeſtas primarias preces exercuit, exerceat eas & poſterum, ad modum circa bona immediata ſuperius explicatum.

Quare vero Imperatoria poteſtas in conferendis precibus primariis intuitu bonorum eccleſiaſticorum *mediatorum* magis, quàm in *immediatis*, reſtricta fuerit, ratio genuina & ſufficiens dari vix poterit, ideoque, ut in voluntate ſummorum paciſcentium heic acquieſcam, pro ratione mihi ſufficiet. Deinde quoque quoad decantatum illum annum decretorium, notabilis occurrit differentiæ bonorum eccleſiaſticorum prælaudatæ uſus in Imperio. Nam intuitu bonorum *immediatorum* eccleſiaſticorum dies prima *Januarii anni 1624. ſtili novi Art. V. §. 14.* fuit determinata, atque ſancitum, ut Status ſive Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis, qui in reali eorum bonorum eccleſiaſticorum *immediatorum* poſſeſſione fuerunt, tranquille & imperturbate poſſideant, neutrique parti liceat alteri, ſeu in judicio, ſeu extra negotium faceſſere, multo minus turbas aut impedimentum aliquod afferre; Quoad *mediata* quoque bona eccleſiaſtica à *Statibus immediatis* poſ-

(2) Quoad annum decretorium.

possessa, idem terminus criticus, *diei 1. Jan. 1624. in Art. V. §. 25. Pac. W.* præfinitus, ita quidem, ut Status sive Catholici sive Evangelici, quatenus dicto die in possessione fuerint, remota omni exceptione, & speciatim illa, quod non de vel in territorio fuerint, in perpetuum ita manere, ac præsettim A. C. addicti ab omni executione Juris & facti perpetuo tuti esse debeant. Quæcunque vero bona ecclesiastica mediata â *subditis* Statuum Imperii *immediatorum*, sive secularium sive ecclesiasticorum possessa, illorum retentio vel restitutio juxta Statum *anni 1624.* simpliciter, & citra restrictionem ad *diem primam Januarii*, fieri oporteat, per *Art. V. §. hoc tamen non obstante 31. P. W.* Si quis regerat, de *solo* forsan *religionis exercitio* hæc ipsa dispositionis verba esse accipienda, is ex verbis subsequentibus finalibus citati *§. 31.* statim convellitur, ubi dicitur:

> Nec minus maneant in possessione omnium dicto tempore, in potestate eorundem constitutorum templorum, fundationum, monasteriorum, hospithalium, cum omnibus pertinentiis, reditibus & accessionibus.

Quod autem non *civitates* solum, item *Comites, Barones, Nobiles & Vasalli*, sed quoque *fundationes, Monasteria* & *Commendæ*, atque sic etiam *Prælati, Abbates, Præpositi, Capitulares, Canonici &c.* subditorum nomine veniant, hoc ipsum ex *§. 30. Art. V. J. P.* plusquam manifestum est. Prædictam differentiam alia quoque intuitu jurium papalium excipit; siquidem in *bonis A. C.* addictorum statuum *mediatis* ecclesiasticis, Pontifici in mensibus papalibus Jus conferendi beneficia competere non potest, propter *Art. V. §. 48.* ubi dispositum: (3) Ratione Jurium papalium.

Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra A. C. Electores, Principes, Status, eorumque subditos, tam inter Catholicos & A. C. addictos, quam inter ipsos solos A. C. Status &c. suspensa esto.

Econtra verò in bonis *immediatis ecclesiasticis mixtis* Pontifici exercitium juris conferendi beneficia toties non denegandum, quoties decedentes Canonici vel Capitulares ex numero Catholicorum definito, iique tum temporis in usu fuerunt, idque per *Art. V. §. 20. P. W.* dummodo papalis provisio Capitulis immediate è curia Romanâ & tempore legitimo insinuetur. Porro ratione bonorum *mediatorum* ex *Art. V. §. 30. & sequ. Jus reformandi* Statibus eatenus, quatenus per Inst. Pacis illud non est restrictum, competit. At verò de *immediatis* Protestantium constat, quod ratione juris circa sacra, ob suspensam Pontificis potestatem, prorsus sint libera, ita tamen, ut jus Primariarum Precum sublime Imperatoris semper maneat exceptum, de quo supra jam tum diximus. Non minus intuitu sic dicti *Juris devolutionis* inter bona ecclesiastica *mediata & immediata* nova enasci videtur differentia; Nam in Capitulis *mediatis* Statuum A. C. jus beneficium conferendi toties ad principem & territorii dominum pro hac vice devolvitur, quoties illi, quibus electio vel collatio debetur, intra præscriptum tempus vacanti beneficio non provident; Econtra verò Principe ipso, si huic jus providendi competit, intra præfinitum tempus non providente, collatio ad capitulum non devolvitur, prout recte observat Dn. BÖHMER *J. E. P. L. 1. t. 10. de supplendâ negligentiâ Prælatorum §. 9. p. 415.* Dispositio

(4) Ratione Juris devolutionis.

ſitio enim Juris Canonici *in Cap.* 2. *X. de Conceſſ. præbend.* quod ſcil. Epiſcopo Collationem negligente illa devolvatur ad Capitulum, hodienum non ſolum inter ipſos Catholicos ab uſu receſſiſſe, tradit ESPENIUS *p. II. de Jur. Eccleſ. tit.* 21. *§.* 11. ſed etiam ad capitula proteſtantium eô minus applicari poterit, quo certius eſt, Principibus proteſtantibus jure ſolo Epiſcopali longe auguſtius & eximius competere in Capitula. Contra verò, utrum hoc jus devolutionis in *immediatis A. C.* bonis & Capitulis, ſi Prælatus intra præſtitutum tempus non eligitur, ad Imperatorem ſpectet, in liquido nondum plane videtur poſitum. Nam quot quantæve rationes pro & contra militent, videri poteſt apud prælaudatum Dn. BÖHMER *ſupr. cit. loc. §.* 11. & 12. *p.* 416. *ſeq.*

§. IV.

Quemadmodum autem egregia quoque eſt illa bonorum *mediatorum* & *immediatorum* eccleſiaſticorum differentia, quæ ipſa Capitulorum jura tempore ſedis vacantiæ concernit; ſi quidem de Capitulis *immediatis* extra dubium poſitum eſt, quod Jure ſuffragii & ſeſſionis in Imperii Comitiis, ſede vacante, gaudeant per *Art. V. §.* 21. *Inſt. P. W.* econtra vero Capitula *mediata*, principibus & ſtatibus Imperii ſecularibus ſubjacentia, tali excelſo jure deſtitui, deque illis, quod adſit ſedis vacantia, dici planè nequeat. Ita ſatis quoque illuſtre Juris publici problema eſt, utrum prædicta bonorum eccleſiaſticorum differentia uſum quoque in ordine ad *Reſervatum Eccleſiaſticum* habeat, ita quidem, ut hæc ipſa de *Reſervato Eccleſiaſtico* diſpoſitio æque ad *immediata* ac *mediata* bona eccleſiaſtica

(5) Ratione Jurium Capituli tempore ſedis vacantiæ.

6) Ratione Reſervati Eccleſiaſtici.

Reservatum ecclesiasticum in bonis immediatis est extra controversiam.

sese extendat? De *immediatis* equidem nullum omnino est dubium, quin Reservati Ecclesiastici vis & effectus ad illa secundum excellentiam tam ratione Catholicorum, quam Protestantium juxta dispositionem *Pacis Westphal. Art. V. §. 15.* pertineat. Integra enim constructio dicti *§. 15. Art. V.* id ipsum ab omni controversia eximit, cujus verba hic apponere placet:

> Si igitur Catholicus Archi-Episcopus, Episcopus, Prælatus, aut A. C. addictus in Archi Episcopum, Episcopum, Prælatum electus vel postulatus solus aut una cum Capitularibus seu singulis seu universis, aut etiam alii ecclesiastici Religionem imposterum mutarint, excidant illi statim suo jure, honore tamen famaque illibatis, fructusque & reditus citra moram & exceptionem cedant, Capituloque, aut cui id de jure competit, integrum sit, aliam personam Religioni ei, ad quam beneficium illud vigore hujus transactionis pertinet, addictam eligere aut postulare &c.

§. V.

At in mediatis an Reservatum obtineat, adhuc dubium.

Verum enim vero de *mediatis* bonis ecclesiasticis res non adeo videtur liquida, quod scil. Reservati Ecclesiastici dispositio ad ista sese quoque extendat. Ut ut enim me non fugiat, pro Affirmativâ haud levia pugnare momenta, PACEM scil. RELIGIOSAM in §. 18. qui Reservati Ecclesiastici primum fundamentum est, loqui videri de bonis ecclesiasticis in genere, verbis: *Wo der Geistlichen einer &c.* item *wo ein Ertz-Bischoff Bischoff oder Prælat oder ein anderer geistlichen Standes &c.* neque ibidem inter bona *mediata* & *immediata* distingui, multo minus illa â Reservato expresse & speciatim excipi, consequenter in regula verum esse: Quod Pace Religiosa non distinguente nec nostrum

sit

sit distinguere; Deinde quoque Instrumenti *Pacis Westph. Art. V. §. 15.* dispositionem Pacis Religiosæ, de Reservato, non tam mutatam, quam potius in favorem A. C. addictorum Statuum eatenus tantummodo fuisse extensam, ut illo ipso, scil. modo A. C. addictus Archi-Episcopus, Episcopus, Prælatus, aut etiam alius ecclesiasticus, si Religionem suam mutaverit, vi Reservati, statim jure suo excidere debeat, ac si Catholicus ad Protestantium castra abierit, adeoque alteram heic obtinere regulam, quod quoticscunque duo de jure judicentur ad paria, etiam in Correctoriis dictum in uno, locum quoque habeat in altero; Nullatenus tamen omnis dubitandi ratio, quæ pro contraria sententia, praesertim ratione Capitulorum Protestantium exinde tollitur. Ex integris enim Actis Reservati ecclesiastici, cujus fata satis solide recensuit VLRIC. OBRECTVS Dissertatione speciali, quæ extat in ejus Opusculis Academicis X. *De reservato ecclesiastico p. 216. seqq.* satis superque constat: Protestantes Status dispositionem Pacis Religiosæ, quoad passum *Reservati ecclesiastici, des geistlichen Vorbehalts*, nunquam agnovisse, sed constanter & solemniter usque ad conclusam Pacem Westphalicam contra illud protestatos esse; Et quamvis dein conditâ Pace Westphalica, ab hâc protestatione destiterint, ita, ut *Reservatum* in *Art. V. §. 15.* ad ipsos quoque extensum & confirmatum fuerit; tantum tamen abest, ut ex dicto *§. 15. Art. V. P. W.* firmiter colligi, concludique queat, quod ad *mediata* quoque bona ecclesiastica illud extensum fuerit, ut potius non levia argumenta prostent in contrarium; Integer enim nexus *§. 15. Art. V. P. W.* Si cum præcedente & subsequentibus

Argumenta pro Negativâ.

IV 2 bus

bus Paragraphis usque 24. conferatur, satis ostendit, quod tantummodo bona ecclesiastica *immediata*, neutiquam verò *mediata*, pro objecto habeat; De his enim in §. 25. demum disponi ceptum fuisse manifestum est. Nunc autem Legem ultra objecti sui terminos extendi posse, nemo facile asseret. Ad objectionem, quod Pax W. hoc in passu ex Pacis Religiosæ §. 18. *Und nachdem bey Vergleichung dieses Friedens &c.* interpretari atque sic ad *mediata* quoque bona extendi debeat; responderi potest: quod subsequens §. 19. *dieweil aber etzliche, dict. Pac. Religiosæ* expresse de *mediatis bonis* disponat, atque Protestantes in eorundem possessione tueatur & confirmet, haud improbabili indicio: in proxime præcedente Paragrapho de *immediatis* tantum fuisse actum; Ut jam taceam, nec ipsam CAMERAM IMPERIALEM hanc dispositionem *P. Rel.* unquam ad bona mediata extendere voluisse, teste PFANNERO in *Hist. Pac. W. l. 2. ad ao. 1645. p. 182.* Idem quoque tot notabiles mutationes â Protestantibus post conditam Pacem de bonis *mediatis* ecclesiasticis citra ullam contradictionem factæ satis confirmant, atque HENNIGESIVS propterea ad *Art. V. §. 15. P. W. lit. e, & m. p. 237. & 240.* eandem sententiam defendit, indeque deducit, nec Potent. Electori Saxoniæ, facta Religionis mutatione, *Reservatum ecclesiasticum* intuitu Episcopatuum Saxonicorum e. g. *Misnensis* opponi potuisse. Quâ nunc hypothesi stante, cur non idem de Episcopatu *Numburgensi* statui possit, ex jam ulterius proponendis fundamentis, aliis judicandum eô magis relinquo, quô minus meum vel ullius privati sit, tantarum desuper exortarum controversiarum, cum notâ temeritatis, in præjudicium cujusdam, arrogare decisionem.

§. VI.

§. VI.

Episcopatus Numburgens. est mediatus.

Equidem investigare operæ pretium non duco, an Episcopatus *Numburgensis* ad OTTONEM M. suam referat originem, exinde enim parum vel nihil pro ejus immedietate inferri potest; *Numburgum* enim situm fuit in territorio Marggraffii ECKARDI, veteresque Marggraffii Misenenses domini territoriales extiterunt. Ipsemet Papa SIXTVS IV. in Bulla quadam enunciat, Episcopatus Saxonicos speciatimque *Numburgensem* pertinere ad territoria & dominium Ducum Saxoniæ, tribuitque Ducibus Saxoniæ facultatem ratione statutorum dispensandi, quod satis clarum præbet indicium superioritatis territorialis, quam Duces Saxoniæ ea tempestate in hosce Episcopatus exercuerunt, vid. EL. JVRIS PVBL. *Tom. XV. Part. VI. p. 507.* Duxque GVILIELMVS jam *Ao. 1483.* Episcopi Dominus Clemens *Gnädiger Herr* salutatus fuit, item condecoratus incessit elogio domini territorialis Episcopatus, vid. EL. JVRIS PVBL. *loc. cit. p. 509. & 510.* Quibus omnibus nihil decedit, quod Episcopi *Numburgenses* prævia electione ad Episcopatum pervenerint, nullus enim Episcopus, si vel maxime electio jam consummata esset, administratione Episcopatus defungi poterat, priusquam peracta electio a Principe territoriali approbata & ista approbatione demum electio robur consecuta esset. Consensu tamen Electorum Saxoniæ in Episcopos eligi poterant etiam impuberes, cujus rei exemplum occurrit in AVGVSTO Electoris CHRISTIANI I. relicto tertio filio, quippe qui administrator Episcopatus Numburgensis designa-

tus, licet nondum annum ætatis tertium explevisset. Quorsum porro facit, quod Episcopi Saxonici Duces & Electores Saxoniæ tanquam Dominos territoriales coluerint, vid. EL. JVRIS PVBL. *loco supra allegato p. 511. 512.* Ipsimet Episcopi in consignationibus Statuum Provincialium deprehenduntur, sive divisiones territoriales sive uniones hæreditariæ sive alii hujuscemodi actus suscepti fuerint, annumerati nimirum fuerunt Statibus Provincialibus, ac Episcopatus tanquam partes quædam dividendæ assignati. Huc facit quod Divus ALBERTVS ANIMOSVS, Dux Saxoniæ, in Testamento suo ita caverit:

Begebe sich auch nach unsern Abgang zwischen genandten unsern Söhnen oder ihrer Erben einiger Gebrechen, der sie sich selbst nicht vereinigen möchten, alsdenn sollen sie und ihre Erben, so offt es geschiehet, dieselben Gebrechen den Aeltesten der Jahre aus unsern Freünden, denen Bischöffen zu Meissen und Merseburg, und zweyen denen æltesten Aebten, zweyen derer æltesten Grafen, vier denen æltesten Räthen aus der Ritterschafft, und zweyen Bürgemeistern derer Städte Leipzig und Salze aus unsern Landen Meissen und Thüringen gründlich vortragen, und sich derselben nach ihrer aller oder des mehrern Theils Bedencken besagen und beweisen lassen.

Quæ dispositio per argumentum affatim edocet, Episcopos *Numburgenses* Statibus Provincialibus annumeratos fuisse. Produnt enim historiarum monumenta plerumque in controversiis inter Dominos territorii subortis, Statibus Provincialibus cognitionem ac com-

posi-

positionem demandatam fuisse, vid. Excell. GLAFFEY *in Kern der Geschichte des Hohen Chur- und Fürstl. Hauses Sachsen p. 153.* Conjungamus ulterius subsequentia hujus Testamenti verba:

Auch ist darauf an unsere Herren und Freunde die Bischöffe unser freundlich Bitten gegen allen andern unsern Landsassen und Unterthanen &c. &c.

Ex quibus verbis iterum consequitur, Ducem ALBERTUM Episcopum Numbergensem subditum suum reputasse; Quae de unionibus & divisionibus vero terrarum dicta sunt, confirmat egregie MULLERUS in *An. Sax. ad annum 1411.* ex iis enim edocemur, fratres istos gloriorissimae mem. FRIDERICUM Electorem Saxoniae Bellicosum, & WILHELMUM Divitem Landgrafium Thuringiae permutationem terrarum suarum ad quatuor annos Lipsiae suscepisse, ea tamen lege, ut praeterlapsis quatuor annis fratri natu majori electio competere debeat, an portionem suam ulterius ad quatuor annos retinere, aut ad tantum temporis spatium cum portione fratri assignata permutare velit, post decursum vero octo annorum ulterior pactio uniuscujusvis arbitrio permittebatur, in permutatione vero modo adducta fratri juniori *Numburgum* insimul assignabatur. vid. *prælaud.* MULL. *An. Sax. ad annum 1411.* Sunt porro ad Diætas provinciales convocati, quod & ætate nostra etiamnum contingit, comparet enim Episcopatus *Numburgensis* in omnibus Comitiis, quando reliqui Status Provinciales Saxonici conveniunt, Votique ac Sessionis inter reliquos status particeps, obtemperat legibus ab Electore Saxoniæ publicatis, provocationes

D 2 sive

five appellationes ab Episcopo *Numburgensi* ad Illustrissimum Regimen Dresdense fiunt, reliquaque regalia inprimis jura belli & pacis, jura sacrorum, jura collectarum, jura viarum publicarum, jura conducendi a Ducibus Saxoniæ in Episcopatu Numburgensi exercita fuerunt, & etiamnum exercentur. Corroboratur hæc opinio mirifice peculiari isto recessu qui inter Augustissimum Regem Pol. FRIDERICUM AUGUSTUM, cui Deus Nestoreos & plus quam Nestoreos annos elargiatur, ac Ducem MAURITIUM GUILIELMUM *Sax. d. 19. Mart. 1711.* intercessit, ubi ita cautum:

Nachdem Ihro Königl. Maj. in Pohlen und Chur-Fürstl. Durchl. zu Sachsen die General-Consumtions-Accise zur Erleuchterung des Armuths wohl bedächtig wie in gantzen Lande also auch in Stifft Naumburg einführen lassen, so wollen dieselbe so bald der unten angeziehlte Haupt-Vergleich zu Stande kommen seyn wird, mit ihrer Fürstl. Durchl. dermassen sich vermittelst sonderbahrer Tractaten auff X. Jahr lang vergleichen, als mit Dero Herrn Vetters zu Weissenfels Fürstl. Durchl. geschehen, und Ihro die Helfte von dem Uberschuss in dem Stiffte, und Sächs. Erb-Landes-Portion geniessen lassen: stürben sie aber nach GOttes Willen vor Ablauffe derer X. Jahr, so höret diese Gratification und der Accise halber gemachte Tractat gäntzlich auf, und fællt die völlige Accise an Ihro Königl. Maj. und Dero Successores wieder zurück, gleich wie sich der Accis-Tractat auch endiget, wenn ein dergleichen neuer modus collectandi in dem Chur-Fürstenthum Sachsen

und

und darzu incorporirten Landen erfunden und eingeführet werden solte.

Idem Recessus jura belli & pacis ad Augustissimos Electores Saxoniæ unice spectantia satis confirmat, quippe hæc omnia ex subsequentibus elucescunt:

Die Fürstl. Residenz wollen Ihro Königl. Majest. aus Consideration gegen Ihro Fürstl. Durchl. Person, so lange Sie leben und daselbst Hoff halten, mit der Einquartirung verschonen lassen, es wäre denn, dass die euserste Kriegs-Noth in Lande erforderte, Guarnison dahin einzulegen und die Stadt defendiren zu lassen.

Episcopus *Numburgensis* contra talia sublimia jura ne quicquam affectavit, & jam *Ao. 1259.* quum Episcopus THEODORICVS civitatem Cizensem fortalitio quodam munire sustineret, interdictum id ipsi cernitur a Marggraffio HENRICO eo successu, ut & opera jam cœpta destruere necesse habuerit, vid. EL. JVRIS PVBL. *loc. cit. p. 572.*

§. VII.

Tantum autem abest Episcopis *Numburgensibus* suffragia in Comitiis Imperii, liquido competere, ut potius Instrumentum *Pac. art. V. §. 21.* statuat: *Episcopatus Evangelicos, qui ante dissidia religionis jure sessionis votique in Comitiis gavisi non fuerint, nec inposterum eodem gaudere debere.* Jam vero non constat, ante electionem Episcopi JVLII ullum Episcopum *Numburgensem* Votum & Sessionem in Comitiis Imperii obtinuisse; Licet enim administrator PHILIPPVS, qui insimul Episcopus Freysingensis fuit semet in subscriptione quorun-

Episcopus Numburgensis non gaudet Voto & Sessione in Comitiis Imperii.

rundam Recessuum Imperii administratorem *Numburgensem* denominaverit, hunc tamen tanquam Episcopum *Numburgensem* non verò tanquam Freysingensem in iisdem Comitiis comparuisse probari non potest. Quæ omnia clariorem lucem exinde fœnerantur, quod cum *Ao. 1540.* Imperator CAROLVS V. Episcopos Saxonicos ad Comitia convocaret, rogaret prius Electorem Saxoniæ JOHANNEM FRIDERICVM & Ducem HENRICVM, ut ex benevolentia erga eum, quia causæ religionis inciderent pertractandæ, inprimis Episcoporum deliberationem exposcentes, hanc convocationem æquo animo ferrent, superaddita hac cautione, convocationem istam Domui Saxonicæ nulli debere cedere præjudicio. *Anno 1541.* deduxit uberius integra Serenissima *Domus Saxoniæ* superioritatem territorialem in Episcopatum *Misenensem* & *Martisburgensem*, adducebatque nunquam esse auditum, Episcopum aliquem *Numburgensem* Votum & Sessionem in Comitiis obtinuisse vid. HORTL. *in Tract. von denen Ursachen des Teutschen Krieges Lib. 5. C. 12. p. 1295.* Licet tunc lis non de Episcopatu *Numburgensi*, sed *Martisburgensi* & *Misenensi* suborta fuerit. Agnovit superioritatem *Domus Saxonicæ* in Episcopatum *Numburgensem* ipse sæpius laudatus Episcopus JVLIVS, dum in literis quibusdam supplicibus demonstrare annititur, se nihil adversus Domum Saxoniæ aut ejus jura molitum fuisse, qua excusatione prorsus opus non fuisset, nisi ei jura *Domus Saxoniæ* fuissent cognita, ab eodemque agnita. Quicquid etiam cum Episcopo JVLIO circa ejus electionem fuit susceptum, prorsus non potest tanquam exemplum allegari posse videtur, quia inter medios religionis motus

tus atque dissidia peractum, Augustissimus attamen Imperator CAROLVS V. in peculiari mandato edito *d. 15. Octobr. 1545.* juribus domus Saxonicæ in Episcopatum *Numburgensem* nihil derogare voluit, Electorque JOH. FRIDERICVS *Ao. 1546.* contra hoc mandatum in quantum quædam complecteretur juribus Domus *Saxonicæ* adversa, varia protulit, ac integram cassationem aut ad minimum suspensionem hujus mandati efflagitavit, quæ omnia videre licet apud HORTLED. supra allegato *cap. 23.* Neque ex monumentis historiæ prætereundum, JO. FRIDERICVM *El. Sax.* Episcopum istum JVLIVM pro vero Episcopo *Numburgensi* nequaquam agnoscere voluisse, & quidem ideo, quia citra ejus consensum electus; Et quamvis econtrariò constet, quod Elector MAVRITIVS pro eo quidem, quo pollebat erga JVLIVM affectu, eundem Episcopatum possidere permiserit, nihilominus tamen idem jura Domus Saxonicæ in hunc Episcopatum tam strenue asseruit, ut contra votum in Comitiis Imperii usurpatum *Ao. 1547.* & *1548.* solennem protestationem interposuerit, nec non illi ipsi voto Elector AVGVSTVS Divæ Memoriæ, *Anno 1550.* similiter contradixerit. Nec ante prælaudati Episcopi JVLII tempora, nec post illa, ullum Administratorem Sessionem & Votum in Comitiis exercuisse, Acta Imperii comprobant; Tantum abest, ut, si quô Voto etiam atque Sessione usus fuisset Episcopus JVLIVS, hoc tamen ante pacem religiosam, adeoque temporibus maximè turbulentis factum fuerit, consequenter pro immedietate Episcopatus exinde firmum adeò argumentum duci plane nequeat.

§. VIII.

§. VIII.

Neque Convocatio ad Diætas circulares, neque subscriptio Recessuum Imp. nec matricula immedietatem Episcopo Numburgensi tribuit.

Ex quibus satis constare arbitror, Electorem MAVRITIUM, Electoremque AVGVSTVM asseruisse sibi superioritatem territorialem etiam temporibus Episcopi JVLII in Episcopatum *Numburgensem*, & si vel maxime objiceretur: Episcopum JVLIVM subscripsisse duobus Imperii Recessibus, subscriptionem tamen solam Episcopatum aliquem immediatum eo minus efficere videtur, quo minus adhuc evictum est, quænam vera hujus subscriptionis sit ratio, & utrum eadem subscriptio in Originali Recessus deprehendatur, quippe talismodi nævos in Recessus Imperii typis impressos interdum irrepsisse negari vix poterit. vid. MAVRITIVS *de Recessibus Imperii Th. 25. & 37.* Edocent id gravissimæ querelæ a Statibus Imperii adversus istas subscriptiones motæ. Ad ulteriorem vero objectionem Episcopos *Numburgenses* aliquando ad Diætas circulares convocatos fuisse, respondetur: Quod nec talis quidem convocatio semper Episcopatum immediatum arguat, convocati quippe pariter fuerunt ad hasce Diætas Episcopus Havelbergensis & Lebusiensis, imo Episcopi Lebusiensis mandatarius Recessui Imperii *Ao. 1564.* subscripsit, vid. GASTEL *de Statu Europæ Cap. 17. §. 10.* Quis autem inde hisce Episcopis immedietatem ex hoc solo Capite assereret? Nec assertis nostris aliquid ex inde decedit, Episcopatum *Numburgensem* insertum fuisse matriculæ Imperii d. *Ao. 1521.* Inserti enim pariter conspiciuntur dicti Episcopatus *Havelbergensis & Lebusiensis*, de quorum medietate tam â pristinis, quam modernis temporibus nemo facile dubitat, ac in summa tenendum,

dum, matriculam non probare qualitatem Status Imperii, pluresque ſtatus in matricula proſtare, qui aliorum principum ſuperioritati territoriali obnoxii ſunt. Saxonicorum Epiſcopatuum inſuper in præcedentibus matriculis *d. Ao. 1510.* & *1518.* nulla occurrit mentio; quid quod Elector Saxoniæ contra matriculam Imperii *d. Ao. 1521.* proteſtatus & hac proteſtatione ſua Jura ſibi reſervavit, allegans hanc rationem & hoſce & alios ſtatus Saxonicos provinciales per errorem huic matriculæ fuiſſe inſertos, unde etiam iſti in ſubſequentibus matriculis *de Ao. 1524. 1547.* & in recentiſſima *de Anno 1654.* ſunt prætermiſſi.

§. IX.

Provocant aliqui ad literas quasdam inveſtituræ, quas Imperatores Epiſcopatus *Numburgenſis* ergo confici curaverunt, ut ex iis literis Epiſcopatui *Numburgenſi* immedietatem vindicare allaborent. Verum enim vero, cum literæ hujuscemodi inveſtituræ reſpectu tertii res ſint inter alios actæ, & ſolummodo producant obligationem inter dominum directum & Vaſallum, tertio vero nec proſint nec noceant, hinc infirmum adeo immedietatis argumentum exinde depromi, manifeſtum eſt. Praxi Imperii pariter congruit, quod dentur Feuda Imperii ſuperioritati territoriali aliorum Principum Imperii obnoxia, qualia exempla occurrunt in Landgrafiatu Haſſiæ, de quibus ſpeciatim egit Perill. Dn. a LUDEWIG. *in Diſſ. de primo foro ſubfeudorum Imperii*, quo me brevitatis ſtudio impræſentiarum refero. Suo itaque jure fecerunt Electores Saxoniæ Potentiſſimi, quod ab eo tempore quo Epiſcopatus iſtos

Nec literæ inveſtituræ arguunt Epiſcopatum immediatum.

tenuerunt, investituram desuper expetere non necessarium duxerint, imitati hac ex parte alios Status Imperii imprimis Potentissimos Electores Brandenburgicos, qui pariter supersederunt investiturae expetendae suorum Episcopatuum. Exemplum hujus rei praebet, Divus Elector JOH. GEORG. I. qui post pacem Westphalicam investituram alias in Episcopatibus immediatis intra spatium annuum expetendam ratione suorum Episcopatuum exposcere haud e re esse duxit, animadvertens Episcopatuum mediatorum ergo sibi in *§. 25. art. V. Instr. Pac. Osn.* & termino decretorio in eodem confirmato sc. *die 1. Jan. 1624.* satis esse prospectum, & quia de Episcopatibus immediatis ad Episcopatus mediatos nulla procederet illatio, adeoque ipsemet eodem jure ac antecessores sui ab investiturae petitione abstinere possit.

§. X.

Scrupulus forsitan subortus idcirco removetur.

Scrupulum aliquem forsitan injicere posset: quod subsequentibus temporum intervallis Serenissimi Duces Saxoniae MAVRITIVS, MAVRITIVSQVE GVILIELMVS *Anno 1660.* investituram in Episcopatum *Numburgensem* exoraverint; tolli tamen videtur facili negotio hocce dubium, modo perpendatur, factum tertii Electoribus Saxoniae nulli praejudicio cedere, inprimis cum Electores Saxoniae Potentissimi jura sua contra hasce investituras strenue asseruerint; eamque non prius admiserint, quam Dux MAVRITIVS pro se & Successoribus suis & una cum eo Capitulum singularibus exhibitis literis reversalibus sese enixissime declaraverit, hanc investiturae petitionem Celsissimis juribus

Au-

Augustissimæ *Domus Saxonicæ* nihil derogare debere: Ipsemet MAVRITIVS confessus, Episcopatum hunc in territorio Electorali Saxonico situm esse, atque in consessu Cathedrali Canonicorum hanc declarationem edidit, nunquam mentem sibi fuisse, Electoribus Saxoniæ universæque *Domui Saxonicæ* jura in Episcopatum competentia imminuere, vel labefactare, vel in controversiam vocare. E quibus abunde elucescit, quod ipsemet MAVRITIVS superioritatem territorialem Electoribus Saxoniæ in Episcopatum *Numburgensem* competere agnoverit, & citra expressum consensum Electorum Saxoniæ investituram impetrare hujus Episcopatus ei non sit integrum. Literæ ergo investituræ, quarum modo mentionem fecimus, in præjudicium superioritatis territorialis Saxoniæ vel in documentum immedietatis cujusdam nequaquam allegari possunt. Idem judicium ferendum est de confirmatione privilegiorum Episcopatus *Numburgensis*, quam Imperator Romanus indulsisse perhibetur, utpote quæ confirmatio tanquam citra præscitum Electorum Saxonicorum impetrata Domui Electorali Saxonicæ, tanquam tertio nulli præjudicio cedere poterit.

§. XI.

Proferuntur adhuc alia pro Episcopatus Numburgensis medietate argumenta adminiculantia.

Quemadmodum porro negari non potest, quod Episcopi Steuras imperio expendendas Ducibus Saxoniæ transmiserint, ab iisque apochas suas desuper acceperint; Ita quoque in genere anni decretorii haud negligenda erit ratio *sc. 1624. die 1. Jan.* quippe quo anno Episcopatus *Numburgensis* pro immediato prorsus non fuit reputatus. Sane si Episcopatus *Numbur-*

genſis immediatis Epiſcopatibus eſſet accenſendus, idem judicium ferendum occurreret de Epiſcopatibus Brandenburgicis & Haſſiacis, cui tamen opinioni nemo huc usque ſuffragatus eſt. Nexus plus ſimplici vice repetitus, quo Epiſcopatus *Numburgenſis* Domui Electorali Saxoniæ ſeſe obſtrinxit, dilucide indicat hunc ipſum Epiſcopatum alieniſſimum eſſe ab indole Epiſcopatus immediati. Accedit huc quod Imperator & Imperium probe memor horum omnium & ante & poſt inſtrumentum Pacis qualitatem immedietatis Epiſcopatuum Saxonicorum nunquam adhuc expreſſe agnoverit. Inſigne robur apertiſſime exinde conciliatur, quod omnes Capitulationes, mediantibus quibusdam Canonici convenerunt cum Epiſcopis in certa quædam Capita, reſervent Electori Saxoniæ jura territorialia expreſſis verbis. Ultimæ voluntatis tabulæ divi Electoris JOH. GEORGII I. evidenter oſtendunt, Epiſcopatum *Numburgenſem* in territorio Electorum Saxoniæ ſitum, & acceſſorium ejusdem referre, quorſum inprimis faciunt verba ibidem ſubſequentem in modum obvia:

> *Und denn unſer vierdter Sohn Hertzog* MORITZ *zu Sachſen Jülich Cleve und Berg aber das gantze Stifft* Naumburg *und* Zeitz *welches ferner &c. &c. durch unſern vor dieſen angewendeten Fleiſs und gehabte Vorſorge künfftig ebenmäſſig zufællet.*

Ubi inprimis notandum, quod glorioſiſſimus Elector vocabulo *zufallen* uſus fuerit. *Zufallen* enim indigitat *devolvi* aliquid ab aliquo in aliquem. Auguſtiſſimus itaque Elector innuit hoc verbo *Zufall* inprimis adjectis

ctis verbis *durch unsern vor diesen angewendten Fleiss zufällt*, Serenissimum filium suum capere hunc Episcopatum a semet tantummodo, adeoque etiam ad se jure pleni dominii spectasse, quod asseri vix posset, si Episcopatus *Numbergensis* immediate imperio fuisset subjectus. Cui sententiæ addictum pariter fuisse Serenissimum Ducem MAURITIUM Postulatum Administratorem *Numburgensem*, apparet ex ultimo suo elogio quod condidit *Anno 1681.* ubi verba *num. 1. Cap. 1.* ita sese habent:

Wir erinnern uns hierbey zuforderst welcher massen durch des Weyland Durchlauchtigsten Fürsten Herrn JOHANN GEORG *des I. Hertzogen zu Sachsen &c. &c. unsers in GOtt ruhenden Hochgeehrten Herrn Vaters und Gevatters Gnaden auffgerichtetes Testament, und darauff erfolgte Freund Brüderliche Haupt Theilung vvir zum Eigenthum Besitz und resp. administration unsrer Erblande und des Stiffts* Naumburg *gelanget &c.*

Quæ verba satis clarum præbent indicium Episcopa- *Numburgensem* jure proprietatis spectare ad Domum Saxonicam. Notatu digna porro sunt verba in eodem Testamento deprehensa:

Sollen die fundamental Verfassungen unser Chur- und Fürstl. Hauses von unsern Successorn an Regiment in höchsten Respect gehalten, und dahero auch einen iedesmahligen Regierenden Chur-Fürsten zu Sachsen dasjenige præstiret werden, was sich krafft derselben Verfassung gebühret, und soll sich niemand aus unsern Söhnen und Posteris bereden lassen, sol-

che Vincula und Fundamenta aufzulösen und zerrütteln, indem dieser Lande Sicherheit und Wohlfarth auf den mächtigen Beyschütz eines Chur-Fürsten nächst GOtt mit bestehet.

Quæ singula satis arguunt, Ducem MAVRITIVM Potentissimum Electorem Saxoniæ tanquam Dominum territorii colendum duxisse. Amplius huc spectant ulterius disposita in sæpius commemorato Testamento Mauritiano:

Uber dieses haben unsre Successores absonderlich zu erwegen, dass wie oben schon ervvehnet vvegen der Verfassung unsers Landes auch gevvisser Concorporation unserer Lande mit den Chur-Fürstenthum ohne dem nicht practicirl. vvenn man zu unbefugten Beschvverungen vvissentlich und vorsetzlich Ursache gebe und hernach auf den allgemeinen Land- oder Stiffts-Tägen oder sonst gevvarten müsse, dass andere Mittel veranlasset, dahero nicht &c.

Quis non colligit ex istis dispositis Serenissimum Ducem MAVRITIVM distincte profiteri, Episcopatum *Numburgensem* partem territorii Electoralis Saxoniæ constituere; Ac ultimæ voluntatis JOH. GEORG. I. Electoris Saxoniæ felicissimæ recordationis tabulis Augustissimus Imperator suam largitus est confirmationem, eamque in omnibus investituris Electoralibus Saxonicis, salvis tamen Juribus Electoralibus renovavit, adeoque Episcopatus mediatos esse statuit. Istæ ultimæ voluntatis tabulæ postgenitis Episcopatus Saxonicos certo respectu ad sustentationem suam destinant, quæ omnia in Episcopatibus immediatis vix

pro-

procederent. Quod vero Divus Elector JOH. GEORGIUS I. in ſæpe laudato Teſtamento ſuo aliquatenus dubitaverit, num Canonici in eligendo Epiſcopo MAURITII poſteros obſervaturi ſint, non eo conſilio factum eſſe, credibile eſt, quaſi exiſtimaſſet, Capitulo integrum eſſe, pro arbitratu ſuo Electione defungi, id enim ab AUGUSTI temporibus nec affectaſſe nec affectare potuiſſe Capitulum ex ſupra dictis haud difficile colligi poſſe exiſtimo, ſed quia eo tempore Domui Saxonicæ Electorali minus vero lineis poſtgenitorum Ducum CHRISTIANI & MAURITII clientelari nexu ſeſe obſtrinxerat, procul enim dubio potius elegiſſet primogenitum ejusque deſcendentes, quod Divus Elector JOH. GEORG. I. quia bene cupiebat poſtgenitis eorumque deſcendentibus impedire voluit. Molimina verò Ducis MAURITII, votum & ſeſſionem in Comitiis ratione Epiſcopatus *Numburgenſis* aucupantis omni ſucceſſu deſtituta fuere, poſtquam Auguſtiſſima Domus Electoralis Saxonica jura ſua in hunc Epiſcopatum repræſentavit, & quod per immemoriale tempus hic Epiſcopatus nullo gaviſus fuerit ſuffragio, deduxit. Conſenſus vero Electoralis, vi cujus MAURITIO GUILIELMO poſtremo Duci Saxo-Cizenſi concedebatur, votum & ſeſſionem in Comitiis Imperii occupare, & decretum Commiſſionis ab Auguſtiſſimo Imperatore deſuper extractum erat, vid. ANT. FABRI *Staats-Cantzeley Cap. 10. Tom. XII.* multas complectitur & præſupponit limitationes, inprimis eam: Auguſtiſſimæ Domui Electorali Saxonicæ nihil prorſus, quoad Jura ſua eminentiora, tam eccle-

cle-

225

clesiastica; quam politica, decedere debere, & tandem & ipsemet Dux MAURITIUS GUILIELMUS desiderium suum, postquam reliqui Duces Saxoniæ, inprimis LEUCOPETRENSIS, eidem contradixerunt, missum fecit, nec ulterius Votum & Sessionem in Comitiis Imperii ursit, sine dubio ratus, repugnare id vinculo isti, quo Electoribus Saxoniæ constrictus teneretur, renunciavitque *Anno 1711.* omnibus propterea formatis prætensionibus.

§. XII.

Continuatur Thema.

Quod vero postremus Episcopus *Numburgensis* MAURITIUS GUILIELMUS Sacra Catholica amplexus, Episcopatui huic renunciare teneretur, id non tam ex virtute Reservati Eccesiastici profectum fuisse credendum est, quam potius ex speciali isto pacto, quippe parens ejus Serenissimus MAURITIUS intercedentibus peculiaribus literis reversalibus *Ao. 1659.* administrationem Episcopatus annexa hac conditione pro se & descendentibus suis consequebatur, si nimirum religionem Lutheranam coleret, quæ omnia tamen ipsi Domui Electorali Saxoniæ nulli cedunt præjudicio. Nam nexus iste clientelaris quo Episcopatus a temporibus Divi Augusti Domui Electorali Saxoniæ constrictus est, nequaquam ad hanc conditionem restringitur. Hoc discrimen, quod intercedit agnatos Electorales ac MAURITII posteros & jura eminentiora Domus, aut lineæ Electoralis, â quâ Episcopatus *Numburgensis* MAURITII posteris saltim sub certis conditionibus demandatus fuit, MAURITIO GUILIELMO probe per-

perspectum fuit, adeoque suis juribus renunciare, mutata nimirum religione prorsus non dubitavit.

§. XIII.

Ad ea etiam attendere necesse est, *Reservati Ecclesiastici* virtutem non posse attribui hujuscemodi bonis, quæ genuinam indolem bonorum ecclesiasticorum jam dudum amiserunt, a Dominis territorialibus vindicata, & maxima ex parte in Statum secularem redacta, alias enim censendum est, quod si Princeps Evangelicus sacra Catholica amplecteretur, eo ipso omnibus monasteriis, fundationibus, & bonis ecclesiasticis excideret, quæ Antecessores sui in statum secularem redegerunt, & ad pios usus seu alios converterunt, quæ tamen & praxi Imperii & rationi Instrumenti Pacis vix conveniunt; Ad Statum secularem redactus quodammodo videatur Episcopatus *Numburgensis* ex hodiernâ facie negari vix poterit; Nec quicquam ad rem facit, quod in Episcopatu isto Canonici occurrant, nam ideo *reservatum* hoc *Ecclesiasticum* non potest porrigi ad eum Episcopatum, quemadmodum irritus esset conatus, si quis Episcopatus Brandenburgicos sc. Brandenburgum, Havelbergam & Lebusium Episcopatus nimirum pari sorte cum Episcopatibus Saxoniæ utentes aut Episcopatus Brunswicenses, Hassiacos *Reservato* contineri; Sic & frustra isti agere videntur, qui *Reservati Ecclesiastici* fructum Episcopatui *Numburgensi* competere autumant. *Reservatum* enim *ecclesiasticum* capiendum est suppositis terminis habilibus, si nimirum casus existere possit, æque apud Catholicos, ac ordines Protestantes; Secularisationem bonorum

Novum argumentum pro medietate.

F

norum vero ecclesiasticorum tantummodo ab Ordinibus Protestantibus peractam fuisse, apertum est. In regulas æquitatis peccaret, qui, principem sacra pristina derelinquentem jacturam facere bonorum & territoriorum suorum secularisatorum, vellet sibi persuadere, quum ne subditus quidem in mutatione religionis in tam duram sortem conjiciatur, ut bonis hactenus possessis exuatur; & quis unquam aliis Principibus Protestantibus Comitibus nimirum Palatinis ad Rhenum, Ducibus Brunswicensibus, Megapolitanis, pristina Sacra derelinquentibus, bonorum suorum Ecclesiasticorum ergo, ullam controversiam movit; inconcusso ergo atque firmo nititur fundamento hæc sententia, *reservatum ecclesiasticum* ad bona tantummodo ecclesiastica immediata, pristinaque sua qualitate etiamnum gaudentia, applicari posse. Sæpius laudatus HENNIGES *in Med. ad Instr. Pac.* hanc rationem allegavit, quare *reservatum Ecclesiasticum* ad Episcopatum Misenensem vim suam non extendat, hunc in modum edifferens:

> Episcopatus hic nominetenus tantum superest, revera autem bona jam diu civitati reddita Privilegia rei sacræ vel ecclesiasticæ amiserunt, neque obstat, remanere adhuc formam aliquam regiminis ecclesiastici in Capitulo & muneribus Canonicis, quia hæc etiam observare licet in illis Archi-Episcopatibus, qui expressa conventione per pacem Westphalicam secularisati sunt, uti loquuntur. Sane ipsis Electoribus Saxoniæ hactenus nomen & dignitatem Episcopi Misenensis non valde cordi fuisse, vel ex eo liquet; quod titulos suos hoc novo decore ornare non magnopere curaverint,

verint, eam procul dubio ob cauſam, quia credidere Duces (Marchiones) Miſniæ non opus habere ejusmodi inanibus titulis cum Epiſcopatus Miſenenſis re ipſa jam partem conſtituat ipſius Ducatus (Marchiæ.)

Unusquisque eorum quibus principia iſta, quæ, Vir modo laudatus ſcientiâ doctrinâque præ cæteris conſpicuus, in ſcriptis ſuis fovet, explorata ſunt, facili negotio colligit, eundem nihil aucupandæ gratiæ Domus Saxonicæ ergo tradidiſſe, potius genuinam indolem rei propriumque inſtrumenti ſenſum perveſtigaſſe, & commune commodum ordinum Proteſtantium, maxime autem Auguſtiſſimæ Domus Brandenburgicæ utpote cujus Epiſcopatus, eodem jure quo Saxonici cenſendi, reſpexiſſe. Uti enim uterque Elector & Potentiſſimus Saxo & Brandenburgicus priſcis temporibus medietatem Epiſcoporum ſuorum aſſeruere præcipue vero reformationis ætate ſuperioritatem territorialem in Epiſcopos ſtrenue exercentes, prout id evidentiſſime commonſtrat quoad Epiſcopatus Saxonicos ordinatio Provincialis juſſu Divi Electoris MAVRITII *Anno 1543.* promulgata, ſic quoque deinde poſt pacem religioſam nihil impedimenti afferente *reſervato Eccleſiaſtico* comprehenſo hac pace, hancce ſuperioritatem territorialem in iis Epiſcopatibus ulterius ſtrenue tueri allaborarunt, variasque in iis immutationes ſuſcipere pro eo quo pollebant jure, aggreſſi ſunt.

§. XIV.

Cumque coævorum Scriptorum teſtimonia plurimum momenti conferant in attribuenda fide, CHYTRÆVS cujus hiſtoriarum monumenta omnibus per- Chytræi teſtimonio hæc ſententia confirmatur.

quam

quam accepta ſunt, quique Divi Electoris AVGVSTI ætate rebus mortalium ſuperfuit, conſulendus erit ex hac parte, quippe qui in aureo iſto opere Chronico ſcilicet Saxonico *Lib. 22.* ad annum *1565.* ita ſenſus animi ſui aperit:

> In Saxonia *Numburgenſem* ad Salem Diœceſin poſt Epiſcopi mortem AVGVSTVS Saxoniæ Elector ſibi regendam tradi a Collegio non adverſante obtinuit, ac utriusque Electoris Saxoniæ & Brandenburgici imperio ſubjectorum Epiſcoporum reditus deinceps in Principum fiſcos redacti ſunt corporibus tamen collegiorum conſervatis, & Inſpectione Eccleſ. Superintendenti & Conſiſtoriis commendata.

Id utique liquet, ſi reſpiciamus Epiſcopatum *Numburgenſem*, quod poſt deceſſum Epiſcopi IVLII Elector AVGVSTVS veluti Princeps & dominus territorialis qualem etiam eo tempore expreſſis verbis ſeſe adverſus Capitulares nominavit, hiſce Capitularibus nequaquam libertatem reliquerit novum Epiſcopum poſtulare, verum potius allegatione ſuperioritatis territorialis id effecerit, ut licet poſtremus Epiſcopus IVLIVS Catholicæ religioni addictus, licet plurimi Canonicorum eandem religionem profiterentur, ut principem juvenem minorennem filium ſuum ALEXANDRVM adminiſtratorem hujus Epiſcopatus poſtularent, ac deinceps *Ao. 1565. & 1582.* in perpetuum Domui Electorali Saxonicæ ſeſe obſtringerent, inſimulque promitterent, ſe numquam a nexu Clientelari iſto, quo Domui Electorali Saxoniæ alligarentur, receſſuros, qua ſolenni Conventione *Numburgenſis* Epiſcopatus ad terras Electorales

les

les tanquam res pertinens quædam ſpectans declaratus fuit.

§. XV.

Quibus omnibus nihil exinde decedit, quod Electores Saxoniæ Collegiis Canonicorum certo modo ſuos reditus atque dignitates reliquerint, exinde enim non conſequitur, Epiſcopatum etiamnum omnimodâ indole Epiſcopatus eccleſiaſtici immediati gaudere, alias enim exinde poſſit concludi, Ducatum Magdeburgicum, Principatum Halberſtadienſem aliosque ejusdem generis Principatus olim Epiſcopatus propter Capitula Canonicorum etiamnum adhuc ibidem perſeverantia, priſtinis gaudere qualitatibus. Et ſi liberales eſſe velimus, ad minimum id pro certo aſſerere fas eſt, jura Epiſcopalia in Epiſcopatu *Numbergenſi* novam ſortem temporibus AVGVSTI experta fuiſſe. Obventiones Epiſcopatus Domus Electoralis Saxoniæ ſibi attribuit, curam vero animarum una cum adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum Antiſtiti ſacri ordinis demandavit, & deinceps certo reſpectu Conſiſtorio commiſit. Semper itaque a temporibus Auguſti Electoralis Domus Saxonica Epiſcopatum *Numburgenſem* aliosque Epiſcopatus Saxonicos veluti partem & acceſſionem terrarum ſuarum reſpexit. Poſſedit hunc Epiſcopatum Divus AVGVSTVS poſt ejus fata Elector CHRISTIANVS I. glorioſisſimæ memoriæ, quippe qui in ultimæ ſuæ voluntatis tabulis ſucceſſorem in Epiſcopatu deſignavit. Eodem Jure etiam Divus Elector JOH. GEORG. I. pientiſſimæ memoriæ tempore regiminis ſui, quod in diem primum *Jan. 1624.* incide-

Epiſcopatus Numburgenſis retinet qualitatem Epiſcopatus mediati, licet Canonici ibi extent.

cidebat, quo tempore jam dudum & jam *Anno 1565.* qualitatem & indolem ecclesiasticam maximam partem amiserat, Episcopatum *Numburgensem* possidebat, omniaque quæ ad munus Episcopale quoad ecclesiastica pertinent, exercuit, unde & ipsi & suis successoribus futuris nimirum Electoribus Saxoniæ *§. 25. Art. V. Instr. Pac.* prospectum fuit, ut scilicet possessio eorum perennis & firma existere debeat, omniaque jura quæ Domui Electorali Saxoniæ ante dissidia religionis in Episcopatu competierunt, ac ea quæ sub AVGVSTI Divi regimine acquisita, omni ex parte confirmata fuerunt. In Tractatibus enim Pacis W. nemini dubium subnatum fuit, an Episcopatus Electorales Saxonici & Brandenburgici ad Electores pleno jure pertinerent, & perpetuo penes ipsos remanere deberent, quare JOH. GEORGIVS I. haud operæ pretium esse duxit, investituram aliquam illius Episcopatus nomine impetrare, probe conscius, instrumenta Pacis W. possessionem horum bonorum satis superque confirmatam esse, adeoque corroboratam, ut ipsa investitura nullum majus robur superaddere posset.

§. XVI.

Electores Saxonici Episcopatum Numburgensem nunquam pro Episcopatu immediato agnoverunt.

Accensebat ergo merito Divus iste Elector JOH. GEORG. I. Episcopatum *Numburgensem* bonis suis hæreditariis ac in Testamento suo de eo cavit, filio nimirum natu minimo eundem ad reditus suos exinde capiendos assignando. Gloriosissimus Elector JOH. GEORG. II. in Recessu fraterno principali hisce inhæsit vestigiis & in Recessu minus principali *Anno 1656.* cum Serenissimo fratre MAVRITIO inito Episcopatum

Num-

Numburgensem imperii & Circulorum Steuris veluti Episcopatum *mediatum* exemtum non solum consideravit, sed & expressis verbis ad terras suas retulit. Iisdem principiis subsequentes Electores Saxoniæ Augustissimi perpetuo innixi, quibus principiis etiam MAVRITIVS & MAVRITIVS GVILIELMVS uterque administrator Episcopatus *Numburgensis* assensum præbuerunt. Status ipsimet Catholici *reservati ecclesiastici* tuendi alias avidissimi tamen arbitrati sunt, Episcopatum *Numburgensem* tam peculiari qualitate esse præditum, ut *reservatum Ecclesiasticum* ad eundem Episcopatum nulla ex parte extendi possit. Quemadmodum ergo Electori AVGVSTO post fata Episcopi JVLII hunc Episcopatum sibi afferenti nullum impedimentum objecerunt, sic & deinceps hunc & reliquos Episcopatus Saxonicos pro portionibus terrarum & Electoralium potius quam Episcopatibus Ecclesiasticis reputarunt, imo & eo tempore quo Ordinibus Protestantibus propter bonorum ecclesiasticorum possessionem litem moverunt, Episcopatus Electorales Saxonicos prorsus in nullam controversiam vocarunt, sed terris Electoralibus Saxoniæ innexos esse concesserunt. Siquidem in conventu *Mühlhusano 1620.* Divo Electori JOH. GEORGIO I. confirmationem desuper dederunt, eamque postea diversis vicibus præcipue *1624.* reiteraverunt. Porro publicatione Edicti FERDINANDINI *Ao. 1619.* publicati, huic Electori adeo cautum fuit, quod *reservatum ecclesiasticum* nunquam ad Episcopatus Saxonicos pertrahi ullo prætextu debeat. vid. PFANNER *in Hist. Pac. W. L. 1. Cap. 6.*

§. XVII.

§. XVII.

Capitulum Numburgense ipsum agnovit Episcopatum esse mediatum.

Ex hisce omnibus adductis luce sua radiat, hunc Episcopatum *reservato ecclesiastico* perpetuo exemtum fuisse, & ipsum Capitulum *Numburgense* nunquam non subjectionis suæ memor fuit erga Domum Saxonicam Electoralem, ac idcirco subjectissimi sui animi ergo contestandi cum Joh. Georg. III. Electore Saxonico felicissimæ recordationis postulationem Eventualem *d. 11. Febr. 1682.* erexit, in eademque sese obstrinxit, quod si Duces Saxoniæ lineæ *Numburgensis* decederent, quod tunc Capitulum in electionibus suis unice respicere velit ad lineam Electoralem Saxonicam descendentesque masculos Joh. Georgii III. ac tamdiu descendentes quidam e Domo Saxonico adsint, nullius alius rationem habere velint.

§. XVIII.

A sedis Vacantia non licet ducere argumentum ad immedietatem.

Vehementer isti vero a Scopo aberrarent, qui forsitan exinde immedietatem Episcopatui *Numburgensi* vindicare conarentur, quia sedis vacantia ab Augustissimo Pol. Rege Frid. Augusto agnita fuisset, num enim talis agnitio sedis vacantiæ unquam extiterit, suo relinquimus loco. Quicquid enim hujus rei sit, a qualicunque sedis vacantia non semper potest concludi, ad immedietatem Episcopatus. Illa enim Capitulum Canonicorum non reddit protinus immediatum; principisque superioritati territoriali nullum affert damnum, sed Capitulum illa tantummodo jura continuat, quæ antea Episcopus exercere poterat.

§. XIX.

Epilogus.

Sed plura edisserere me cupientem excludit temporis angustia, qua adductus, vela contraho, ac ea quæ forsitan adhuc excutienda fuissent uberius deducendo alii occasioni reservo.

(o)